

rum, quod sub Stephano Papa in Ecclesia Orientali omnino extinctum est. Dionysius itaque hac in epistola gratulatur Stephano, quod Orientales Episcopi, qui antea inter se dissidebant, dum alii Novatiani partibus, errorique faverent, alii e contra Novatianos diris devoverent, in mutuam tandem redierint concordiam, & Novatiani Hæresim damnantes statuerint lapsos in Ecclesia esse recipiendos. Idque confirmari potest locupletissimo Eusebii testimonio lib. 7. Hist. Eccl. cap. 4. ubi hæc habet: *Ad hunc igitur, idest Stephanum, Papam, multa de hoc argumento Dionysius per litteras scripsit, in quibus id tandem illi indicat, omnes ubique Ecclesias, molliorem persecutionis furor, Novati turbulentam novitatem detestantes inter se pacem iniisse.* Ex quibus liquet, Dionysium hac in epistola ad Stephanum Papam indicare duntaxat voluisse concordiam Ecclesiarum Orientis, quæ Novatiani Hæresim proscriperunt, & lapsos venia donari debere communi suffragio decreverunt.

D. Vix in animum meum inducere possum, Cyprianum, & Firmilianum, quos doctrina, & eximia vitæ sanctimonia præditos fuisse certissime constat, errorem suum nunquam deposuisse, & Stephani Papæ decreto obfirmatis animis parere detrectasse. Hæc quippe macula est, quæ utriusque sanctitati haud parum officere videtur.

M. Quamvis nulla suppetant antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta, quæ certo evinci possit Cyprianum & Firmilianum hanc sententiam de rebaptizandis Hæreticis aliquando deposuisse, mihi tamen probabilius videtur, eos saltem ab hac sententia ante mortem discessisse, & omnem inde contractam maculam poenitentia expunxisse. Præterquam quod, excusari etiam possunt Cyprianus, Firmilianus, alique Orientales, & Africanus Episcopi, qui morem rebaptizandi Hæreticos post Stephani Papæ decretum sectati sunt, quia existimarunt morem istum ad fidem minime pertinere, sed ad æconomiam duntaxat, & disciplinam Ecclesiasticam, in qua, ut ipsemet loquitur S. Cyprianus, salvo pacis, & concordie vinculo integrum erat Episcopis quædam propria, quæ apud se semel sunt usurpata, retinere. Hinc S. Augustinus excusat S. Cyprianum, non solum quia nunquam recessit a communione Sancti Stephani Papæ, sed etiam quia ipse ætate necdum celebratum fuerat Concilium plenarium ad aliquandam istam de rebaptizandis Hæreticis controversiam. Porro hæc excusatio locum in S. Cypriano habere non posset, si ipse putasset, hanc de rebaptizandis Hæreticis controversiam ad fidem spectasse; cum nullo pacto excusari possint illi, qui aliquem errorem contra fidem a Sede Apostolica confixum pervicaci animo propugnarent etiam ante Concilii Œcumenici celebrationem, uti videre est in causa Pelagianorum, quibus spem Concilii Generalis ademit S. Augustinus. Hoc pacto excusari possunt Africani, & Orientales Episcopi, sed præsertim S. Cyprianus, cujus doctrina (si tamen hanc de rebaptizatione

Hæreticorum exceperis sententiam, quam, ut mox dixi, non ad fidem, sed ad Ecclesiæ tantum disciplinam pertinere autumavit) jure ac merito appellari potest fidei propugnaculum, traditionum Promtuarium, disciplinæ Ecclesiasticæ Palladium, Moralis Evangelicæ firmamentum, & invictum Christianæ doctrinæ munimentum, pro cuius defensione Sanctus ille Doctor exilia, tormenta, & carceres pati, ipsamque mortem constanter oppetere non dubitavit.

D. Dicebas, si bene memini, in præcedenti colloquio, S. Cyprianum disciplinæ Ecclesiasticæ vindicem acerrimum noluisse ad reconciliationem illos admittere, qui grassante perfectione Imperatoris Decii lapsi erant, nisi prius laboriosam, atque diuturnam peregerint poenitentiam. Nunc gestit animus scire, an fuerint aliqua celebrata Concilia tum ad sanciendo illam erga lapsos disciplinam, tum ad profigandam errorem Novatiani, qui omnem spem veniæ lapsis adimebat, eisque ad reconciliationem aditum præcludebat.

M. Ad stabiliendam erga lapsos peragenda poenitentia disciplinam, & ad proscribendum Novatiani errorem, nonnulla in tertio Ecclesiæ sæculo tam a S. Cypriano, quam a S. Cornelio Papa fuere celebrata Concilia, quæ hic ordine recensere, ut continuam rei gestæ seriem comperam facilius habere possis. In primis, postquam S. Cyprianus *Felicissimum*, *Novatum*, & alios quinque Ecclesiæ Carthagenensis Presbyteros fraterne corripuisset, eo quod nimia erga lapsos facilitate antiquam Ecclesiæ corrumpere disciplinam, omnesque lapsos citra congruam satisfactionem mox recipiendos esse contenderent, Concilium anno Christi CCLI. coegit, in quo de causa lapsorum synodice conclusum est primo, non esse in totum spem communicationis, & paucis denegandam lapsis contra Novatiani errorem. Secundo, ne antiqua erga lapsos Ecclesiæ disciplinæ rigor solveretur; ad reconciliationem temere, & sine præmissa satisfactione lapsos proflire haud debere, contra *Felicissimi* factionem. Sed quia diversæ erant lapsorum classes, ne iisdem poenis omnes subicerentur, sapienter ab illius Synodi patribus cautum est, ut communione donarentur illi lapsi, qui dicebantur *Libellatici*, idest, qui palam fidem non negaverant, sed solum munus, aut pecuniam dederant, ut eo pretio impunitatis libellos a Magistratibus obtinerent, & hoc pacto cum vitæ, tum Idololatriæ exterioris periculum redimerent, seque a satellitum audacia, ac furore tuerentur, nominis Christiani professionem confusione quadam abnegantes; hi vero lapsi, qui palam idolis sacrificaverant, poenitentia addicerentur, nec ad reconciliationem admitti possent, nisi ingruente mortis periculo, & ea etiam lege, ut iis omnino denegaretur communio, qui ante lethalem morbum nulla ediderant poenitentia signa, aut saltem poenitentiam, dum sani essent, non inchoaverant, vel postulaverant: Clericos autem, qui publice Idola coluerant, perpetuo in poenam tanti delicti a Clero arcendos statutum est. Hæc cum definissent patres Concilii Car-

Carthagenensis, miserunt epistolam Synodicam ad Cornelium Summum Pontificem, qui Romæ habuit Concilium, in quo Synodi Carthagenensis decreta de lapsis suscipiendis confirmata sunt, & Novatianus, qui *Clinicus*, hoc est, in lepto baptizatus, & a dæmone ab exorcistis liberatus, a tribus rudibus Episcopis Italis in Romanum Pontificem fuerat evehctus, Anathemate cum suis sectariis percussus est. Interfuerunt huic Romanæ Synodo LX. Episcopi, & multo plures Presbyteri, ac Diaconi. Hac terminata Synodo, Cornelius ad Fabianum Antiochenum Episcopum, qui Novatiani partibus nimis favebat, scripsit litteras de Novatiani facinoribus, quas ubi primum accepisset Fabius, Concilium Antiochenum indixit, ad quod *Helenus* cum suis e Cilicia, & *Firmilianus* e Cappadocia, & *Theodistus* e Palæstina Sedi Antiochenæ Subditi Dionysium Alexandrinum invitarunt, quod festitarent, Antiochiæ nonnullos ad Novatiani Schisma confirmandum paratos esse. Sed priusquam istud celebraretur Concilium, vita functus est *Fabius*, & ejus loco electus est *Demetrianus*, qui Synodum Antiochenam coegit, cujus meminit libellus Synodicus post *Batonii* mortem in lucem editus, sicut testatur doctissimus Pagius in sua Critica ad annum Christi 252.

D. Ejusmodi disciplina, qua reconciliatio, seu absolutio sacramentalis ad mortem usque lapsis procurabatur, aut saltem ipsis non concedebatur, nisi post emensum integrum poenitentia stadium, fuitne eo rigore ab illis omnibus, qui erant lapsi, observata, ut ab ea neminem Ecclesia eximeret?

M. Quamvis lapsi, seu graviorum peccatorum reis reconciliatio seu absolutio sacramentalis usque ad mortem quandoque differretur, vel saltem post præctam duntaxat poenitentiam, & impletam satisfactionem ordinaria lege antiquitus concederetur, hujus tamen poenitentialis disciplinæ severitatem erga aliquos quibusdam in casibus relaxabat Ecclesia. In primis, cum urgeret mortis periculum, aut in discrimine versaretur poenitentis salus, vel persecutio immineret, absolutio sacramentalis concedebatur lapsis ante impletam satisfactionem, juxta decretum latum in Concilio secundo Carthagenensi habito a S. Cypriano anno Christi 252. in quo relaxatio quædam facta est decreti in primo Concilio Carthagenensi circa lapsos constituti, & ob Ecclesiæ persecutionem, quam crebris, & assiduis argumentis admoniti illius Concilii patres jamjam imminere videbant, lapsos, vere aliqui poenitentes ad pacem, & reconciliationem sine ulla cunctatione admisserunt, ut protectione Corporis, & Sanguinis Christi roborati Christiani ad prælium, quod tum impendebat, efficacius armari, & animari possent, ut videre est in epistola Synodica illius Concilii Carthagenensis secundi, quæ missa est ad Cornelium Romanum Pontificem, & quæ inter epistolas S. Cypriani apud Pamelium est LIV. Præterea, ejusdem poenitentialis disciplinæ erga lapsos severitatem remittebat pia Mater Ecclesia, vel quando lapsi Martyrum libellis erant

commendati, vel quando post scelus commissum facti poenitentes, Christum urgente persecutione constanter confitebantur, aut pro ipsius gloria patiebantur. Tunc enim pacis, & sacramentalis absolutionis beneficium lapsis indulgebatur Ecclesia, etiam si satisfactionem necdum ab solvissent. Postremo, eandem disciplinam erga lapsos asperitatem haud parum emolliiebat Ecclesia, quando citra Schismatis, vel alicujus tumultus periculum differri diu non poterat sacramentalis absolutio, vel quando ex reditu lapsorum ad Ecclesiam ingens aliquod bonum in eam redundabat, sicut Schismatis extinctio, vel immunitio, aut multorum ad gremium Ecclesiæ reductio. Tunc enim lapsi actutum reconciliabantur, eisque luctuosæ poenitentia labores condonabantur. Uti constat ex bene multis exemplis ex Historia Ecclesiastica petitis, sed potissimum exemplo Confessorum *Maximi*, *Urbani*, *Sidonii*, & *Macarii*, qui a Novatiani Schismate ad Ecclesiæ unitatem redeuntes, summisque precibus desiderantes, ut ea, quæ antea Novatiani dolis circumventi, ejusque Schismate impliciti gesserant, in oblivionem cederent, protinus ad Communionem, & pacem Ecclesiæ, nullis poenitentia impositis laboribus admissi sunt a Sancto Cornelio Papa, qui horum omnium Sanctum Cyprianum certionem fecit ea in epistola, quæ inter Cyprianicas apud Pamelium est XLVI.

D. Difficile adducor ut credam, severam adeo fuisse veterem erga lapsos Ecclesiæ disciplinam, maxime si illam ad hujus ævi praxim, seu ad disciplinam, quæ mox in Ecclesia inolevit, conferre, atque expendere liceat. Nunc quippe lapsi raro denegatur, aut differtur sacramentalis absolutio, nullaue laboriosa præmissa satisfactione peccatores gravissimorum licet criminum rei, non poenitendo compendio statim reconciliantur. Non est autem credibile, Ecclesiam a primæva sua disciplina sic descivisse, ac degenerasse, ut nulum in præsentia illius ferme vestigium retineat.

M. Veterem erga lapsos Ecclesiæ disciplinam, a fluxa, solutiorique multum discrepasse constans est omnium disciplinæ Ecclesiasticæ peritorum judicium. Quapropter, ut verbis utar doctissimi Cardinalis Bona libr. 1. rerum liturgicarum cap. 18. de sacris Ecclesiæ ritibus, eorumque veneranda antiquitate illi proculdubio male merentur, qui præfatos mores præsentis temporis consuetudine mentientes, omnem veterem disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea persuasionem decepti, quod nihil unquam ab iis usibus diversum fuerit, quod a parentibus, & Præceptoribus didicerunt, & quibus ab infanzia assueverant. Quod si aliquando præfatorum patrum monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt, obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsentia comparantes, & si forte in aliquid incidunt, quod ab hodiernis ritibus discrepet, subsistunt, & mutant, vel inconsulto respicientes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes quidquid a suis præjudicatis opinionibus abhorret. Es



Ex quo fit, ut in maximos errores, inque vitium Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur: quia nimirum causas, & fundamenta, ac ipsasmet definitiones ignorant; quas bene percipere nemo potest, nisi ideam, & imaginem antiquæ discipline in mente habeat. Ex quibus doctissimi Cardinalis verbis perspicuum est, eos vehementer decipi, qui antiquam Ecclesiæ erga lapsos disciplinam conferunt cum hodierna, quæ progressu temporis remissa est, & mollior, solutiorque evasit, quamvis Ecclesiæ nihil tam in votis habeat, suamque omnem, quantum fieri potest, det operam, ut callapsa disciplina restauretur, & Christianorum mores in melius emendantur.

D. Fueruntne in tertio Ecclesiæ sæculo alia celebrata Concilia, præter ea, quæ hætenus enumerasti.

M. Contra Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum, qui Verbi divinitatem inficiabatur, duo Antiochiæ coacta sunt Concilia, quorum primo, quod fuit indictum anno Christi 264. interfuerunt Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, Gregorius Thaumaturgus Neocæsareæ Episcopus, ejus frater Athenodorus Episcopus Ponti, Hymeneus Hierosolymorum, Nicomas Iconii, Helenus Tarvensis Episcopus, Theoretus Cæsareæ in Palæstina, & alii magni nominis Præsules. Ad illud Concilium Dionysius Alexandrinus invitatus est, sed cum ob gravem ætatem venire haud potuisset, epistolam misit, qua suam de Paulo Samosateno, ejusque errore sententiam aperiebat, & sicut scribit Eusebius libr. 7. Hist. Ecclesiast. capit. 30. Erroris Ducem, videlicet Paulum Samosatenum, ne salutatione quidem dignatus, neque ad eum nominatim, verum ad universam Antiochenam Ecclesiam suas litteras direxit. Paulus Samosatenus, postquam in isto Concilio palam pollicitus fuisset, se mutaturum sententiam, deceptis per simulationem Firmiliano, qui præerat huic Concilio, aliisque Episcopis, indemnis abscessit. Sed datam fidem cum violasset vaserimus ille Hæresiarcha, erroremque suum, quem furore patribus facto, data opera occultaverat, & tantum non ejurare visus fuerat, obstinato animo tueretur, altera Antiochiæ celebrata est Synodus anno Christi 265. vel, ut alii volunt, 270. ad quam LXX. Episcopi, teste S. Athanasio in libr. de Synodis, convenere, quibus iterum illudere conatus Paulus Samosatenus, a Malchione Antiochenæ Ecclesiæ Presbytero fuit Hæreseos convictus, & Episcopatu abdicatus, suspecto in ejus locum Domino, sicut videre est in epistola Synodica, quam Patres istius secundi Antiocheni Concilii ad Dionysium Roman. Pontificem direxerunt, in qua, postquam præmiserunt, Paulum Samosatenum fuisse omnium calculis damnatum, & ab ipsis Anathemate percussum, eoquod Arteme, seu Artemonis Christum nudum hominem esse, & ante Mariam Virginem non fuisse effluentis Hæresim recoxisset, illiusque superbiam, fastum, atque dissolutos mores graphice descriperunt: Subdunt deinde, Domnum, amoto Paulo Samosateno, in Sedem Antiochenam

fuisse subrogatum, adeoque ad illum, tanquam ad verum, & legitimum Sedis Antiochenæ Episcopum litteras suas communicatorias deinceps Romanum Pontificem mittere debere. Verum, quamvis Paulus Samosatenus Sede sua Episcopali fuisset in hac secunda Antiochena Synodo turbatus, nihilofecius munitus patrocinio Zenobie Palmyrenorum Regiæ, quæ maxima in Civitate Antiochena auctoritate pollebat, e Domu Episcopali egredi, Dominoque cedere loco noluit, donec tandem Aurelianus Ethnicus Imperator Antiochia potitus, & a Catholicis Episcopis interpellatus, Domum Episcopalem huic adjudicandam edixit, cui Episcopus Romanus scriberet concedendam. Quocirca expulso Paulo Samosateno admissus est Domnus legitimus possessor. Sancti Patres Athanasius, Basilus, & Hilarius tradunt, hanc vocem *ἐκκομιστορ*, quod idem sonat ac consubstantialis, fuisse proscriptam a patribus secundæ Synodi Antiochenæ ob perversum, & plane Hæreticum sensum, quem huic voci perperam asfingebat Paulus Samosatenus. Hanc tamen vocem *ἐκκομιστορ* Patres Concilii primi Nicæni in suo genuino sensu acceptam consecraverunt, & symbolo inseruerunt, tanquam resseram Fidei Christianæ ad profigendam perfidiam Arii negantis Verbum divinum esse cum Patre Eterno consubstantiale. Idem Concilium sanxit Canone 19. ut Paulianistæ, idest, discipuli Pauli Samosateni, qui ejurata Hæresi ad Ecclesiam revertebantur, iterato Baptismo lustrarentur, eoquod consuetam Baptismi formam data opera interpolarent, & in eam suum invehent errorem, quo, cum Hæresiarcha Sabellio, Trinitatem Divinarum Personarum e medio tollebant, unamque tantum Divinam Personam asserabant.

Præter duas illas Synodos Antiochenas, quæ adversus Paulum Samosatenum celebratæ fuerunt, aliam Baronius ad annum Christi 265. ait a Dionysio Romano Pontifice convocatam esse ad damnandos errores illius Hæresiarchæ, & ad asserendum Verbi Divini consubstantialitatem. At clarissimus Pagius in sua Critica ad annum Christi 264. censet Synodum illam Romanam in causa Pauli Samosateni supposititiam esse, nec unquam fuisse celebratam. Hæc sunt in summa omnia Concilia, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis ad dirimendas controversias, quæ circa fidem, vel disciplinam emerferunt, diversis in locis fuerunt coacta. Quapropter præsentis Colloquii finem imponamus, aliud proximo die habituri, cujus argumentum erit de Viris Illustribus, qui tam eximia doctrina, quam singulari pietate in tribus primis Ecclesiæ sæculis floruerunt. (a)

„(a) Adversus Origenem pariter tertio hoc sæculo Concilia quædam conveniunt auctore Demetrio Episcopo Alexandrino. Cum enim Origenes contra jus & fas a Theodotio Hierosolymorum, & Alexandro Cæsareæ Episcopis sacerdos consecratus fuisset, Demetrius in Synodo de Episcopis illis conquestus, pellendum illum Alexandria, prohibendumque ne deinceps doceret, judicavit. Dein altera „ coacta

„ coacta Synodo cum Episcopis aliquot Ægypti „ sacerdotio illum privavit, quin & in Synodo „ Romana eundem damnatum exculpit Hardui- „ nus ex verbis illis Rufini in *veit. in Hieron. lib. „ 2. in damnationem ejus consentit urbs Roma.*

D. Id genus argumenti perplacet mihi. Quid enim, amabo, jucundius, quam memoria tenere dicta, facta, exempla & Opera SS. Patrum, virorumque illustrium, qui omnem suam curam, industriam, laborem & ingenii perspicaciam ad Ecclesiæ splendorem, gloriam & incrementum contulerunt, atque mirabili vitæ sanctimonia toti Orbi Christiano præfulserunt.

## COLLOQUIUM VI.

De Viris Illustribus, qui in tribus primis sæculis Ecclesiam doctrina, & pietate illustrarunt.

D. Protulitne prima Christianorum ætas eruditos Scriptores, qui Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt, & extantne etiamnum germana ab illis edita Opera, in quibus appareat quodnum fuerit illorum ingenium, quæ studia, quæ occupationes?

M. Quamvis certum sit, plures in primo Ecclesiæ sæculo clarissimos extitisse Scriptores, qui varia ediderunt Opuscula, Epistolas, Tractatus: fatendum tamen est, bene multa ex pretiosis illis illustrium hominum monumentis (si excipias omnes Novi Fœderis libros, quos hoc sæculo scriptos singulari divinæ providentiæ beneficio adhuc integros, ac illibatos conservamus) penitus interisse. Quo fit, ut paucissima modo residua sint Patrum primi sæculi Opera, quæ eo pluris æstimanda sunt, quò majorem iidem Patres & merito suo, & sua cum Christo, & Apostolis consuetudine, ac familiaritate sibi auctoritatem conciliarent. Porro inter illos primi sæculi Scriptores, alii libros ediderunt ad demonstrandam Christianæ Religionis veritatem, & ad probandum contra Judæos Jesum Christum esse verum Messiam, verum Deum, & in eo fuisse adamussim completa omnium Prophetarum Oracula, ac proinde Moysis legem, caeremonias & sacrificia ab eo rescissa, & abrogata fuisse. Alii, Infidelibus, & Idolorum cultoribus persuasum ibant, plures Deos, quales a Diabolo delusa admittebat supersticiosa Gentilitas, omnino impossibiles esse, unumque tantummodo existere cæli & terræ, rerumque omnium conditorem. Alii, libros concinnabant, ut eos, qui Christianæ Religionis mysteriis recens erant initiati, salutaribus novæ legis erudirent, atque informarent præceptis. Scripserunt alii virtute, & merito præstantiorum id ætatis Christianorum historiam, itinera, pericula, labores, certamina, passionem, supplicia & omnia Martyrii eorum Acta. Alii, Statuta, Canones ab Apostolis, eorumque successoribus ad doctrinæ explicationem, morumque instructionem sancita scriptis tradiderunt. Alii, Epistolis suis Christianos accenderunt ad imminentes tyrannorum persecutiones æquis animis tolerandas. Alii,

denique, in gliscientes abusus, in nascentes Hæreses, falsasque pullulantes doctrinas stylium, calamumque acuerunt. In his potissimum tractandis argumentis tempus, operamque suam in rem Ecclesiæ locabant Scriptores primi sæculi, quorum tamen, prohi dolor! multa opera temporis rerum omnia edacis injuria, perierunt, & ad nos usque non pervenerunt.

D. Certe vehementer doleo tam gravem jacturam pretiosorum monumentorum, quæ, tanquam primis avitæ doctrinæ canalibus efficacius revinci possent Christianæ Religionis hostes. Ast quoniam nonnulla, ut præmonuisti, supersunt adhuc aurei illius Ecclesiæ sæculi monumenta, quæ nobis non inviderunt fata, rogo te ut juxta severiores Criterii Regulas germana Opera Patrum primi sæculi, quorum sudore, & sanguine parta nobis, & quasi per manus Religio tradita est, discernas a spuris, & supposititiis, quæ circumferuntur, illisque, ut audiui, falso adjudicantur.

M. Ad secernenda genuina veterum Scriptorum Opera ab his quæ adulterina sunt, plurimum juvant doctissimæ lucubrationes editæ a clarissimis hujus ætatis viris, qui Critices disciplinæ bono nati ad edenda, & illustranda veterum Patrum scripta, & e tenebris educenda quæcumque antiquorum monumenta diu, multumque maximo Reipublicæ Christianæ emolumento insudarunt. Ex his ergo eruditis lucubrationibus, ut tuæ utilitati consulam, pauca delibabo, ac summam perstringam, quæ ad pervestiganda genuina Opera Patrum, qui in tribus primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, tibi impræsentiarum sat superque sufficere poterunt. De libris tamen, Actis, Liturgiis, & Epistolis, quæ falso Apostolis tribuuntur, non disseram, ne actum agere videar, cum in Tractatu, quem de Sacra Scriptura edidi, plura hoc de argumento dixerim, quæ hic repetere supervacaneum omnino esset. Ordior autem ab examine Operum, quæ tribuuntur Patribus primi sæculi, quales sunt, Hermas, Clemens Romanus Pontifex, S. Marialis, S. Polycarpus, Acta passionis S. Andreæ ab Achazæ Presbyteris conscripta, S. Dionysius Areopagita, S. Ignatius Martyr, & Papias Hierapolitanus Episcopus.

In primis Hermas, qui fuit Apostoli Pauli Discipulus, auctor est Operis Pastoris, quod tribus constat libris. Primus, quatuor visiones complectitur. Secundus, duodecim mandata continet. Tertius, similitudines decem exhibet. Nonnulli antiqui Patres, quos inter censetur S. Irenæus libr. 4. adversus Hæreses cap. 37. & S. Clemens Alexandrinus libr. 1. Stromatum, tanti fecerunt hoc Pastoris Opus ab Hermas editum, ut illud tanquam sacrum divinæ Scripturæ Codicem laudaverint; quibus tamen hac in re assentiri minime debemus, tum quia nobilissimi Scriptores, videlicet Athanasius in libr. de Decretis Synodi Nicænæ, Eusebius libr. 3. Hist. Eccles. cap. 25. Hieronymus in Prologo Galeato, Rufinus in expositione Symboli, Auctor Scitometrie in calce Chronographiæ Nicephori Constantinopolitani editæ, hunc librum Pastoris extra Canonem Scripturæ Sacra-